



Martinus patria Achantopolitanus à pueris
operam literis dedit, atq; prīmis rudimentis
perceptis, sese ad Tubingensem academiam cōtu-
lit. In ea primò liberales artes didicit, atq; S. Theo-
logiæ studium coniunxit, idq; tanta dexteritate, ut
eius facultatis Doctoralia insignia sibi compara-
ret. Accedebat & uitę castitas, & morum innocen-
tia. nec non dicendi grauitas, & docendi perspicui-
tas. Id cum proceres eius loci intellexissent, eū Tu-
bingensis Ecclesię parochum constituerunt. Eam
functionem is diu magna laude administravit, &
cunctis gratissimus fuit, idq; sub illustriss. principe
Huldrico, antequam purior Euangelij doctrina ijs
in locis publicè recepta esset. Cum autem ex patrimonio & salario Ecclesiaſtī-
co magnas opes conquisiuisset, atq; liberis, fratribus, & sororibus careret, in
primis patruis suis de proprijs bonis aliquid legauit, ex reliquis aūt, sapientū
uirorū consilio, collegium aliquod in ea Academia adhuc uiuens fundare uo-
luit, in quo pauperes studiosi, quibus aliunde sumptus ad studia non suppene-
rent, fouerentur. Tantùm autē ipse legauit, ut inde nouem studiosi ali queant.
Huic suæ fundationi initium fecit anno salutis nostræ per λόγον incarnatū re-
cuperatæ, 1518. in festo Simonis & Iudæ.